qui se ydola coluisse penitus denegabat. Traditur et quod quicumque ydolatria hanc aquam
gustasset, labia eius ita adhererent ut nequaquam ea ab invicem ydolatria separa-
re posset. Hoc indicio ydolatria deprehendebatur et interficiebatur quod et sequen-
tia demonstrant in eo quod ait. Iudicavitque samuel filios israel in masphat.
Iudicare in hoc loco ydolatras secundum legem morti tradere intelligendum est. Dicunt
et quod hoc modo moyses quoque ydolatras qui vitulum fecerant probavit. quando arripu-
it vitulum et combussit et contrivit usque ad pulverem et sparsit in aquam et dedit ex
eo potum filiis israel. Super beth bachar i. iuxta masphat et sene i. duo loca
vel civitates. Hec apposuerunt ultra per longo tempore dicit. Unguentarias que
unguenta faciunt. Focarias que cibum parent vel uncturas. Redditus vinearum quod
vinea et melle potest colligi. In auribus domini i. orans ante archam dei. Melior illo
i. dignior illo. Terra salisa primum nomen loci non quod salsa sit. In sisarchiis in sac-
cis vel pera. unus stater medietas uncie. Siclus quarta pars stateris. octava pars huc usque:
est uncie. Clivum ascensum flexuosum. In excelso quia solebant semper altaria ponere in loco
excelso. Dixitque saul ad puerum suum. Ecce ibimus quid feremus ad virum. Ipso enim
putabat sibi asinas a samuele alias indicari non precio divinationis. Festina nunc.
Hodie enim venit in civitatem quia sacrificium est hodie populo in excelso. Sacrificium in hoc loco
prandium intelligitur quod preparaverat samuel populo in kalendis. Triclinium domum tri-
um habitationum vel a tribus discubentium lectis dictum. De coxa servatum est. alia transla-
tio sic habet. Et quoniam in testimonium posita est tibi apud populum manduca. De excelso
in oppidum i. de rama in civitatem. Lenticulam olei. modicum vas eneum quadrangulum
in latere apertum. Iuxta sepulchrum rachel in finibus beniamin quia in tribu iuda fuit prope
finis beniamin. Et dimittam te mane et omnia que sunt in corde tuo indicabo tibi et
cetera. Erat in corde saul sicut hebrei tradunt quod rex futurus esset quia viderat per visum se in
vertice arboris palme collocari que visio signum regale erat. Invenient te ibi tres
viri ascendentes ad dominum in bethel. Ipsi viri cum oblationibus ibant bethel ubi iacob
lapidem erexerat. ad quercum thabor de nomine hominis alicuius vel quercus mambre alias
sepulcrum est. venies usque ad arborem glandis electe. lagenam vini. lagena et situla greca

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.15, 7r – Glossae in Vetus Testamentum; Hieronymus, Quaestiones Hebraicae in librum I Regum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-w0bv/5295/50276)